

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Scriptura sacra ah cum fonte primo

Omnem scienciam atque  
doctrinam sacra scriptura

transcendit ut taceam quod uera  
predicat, quod ad celestem  
patriam inuitat, quod a terrenis desideriiis

cor legentis reuocat, quod dictis  
obscurioribus fortes exercet et paruulis  
humili sermone blanditur. Nec sic  
clausa est ut pauesci debeat, nec sic patet  
ut uilescat, sed usu fastidium tollit;  
et tanto plus diligitur, quanto amplius  
meditatur.

Gregorius XX. moralium capitulo I.

Quamuis  
omnem scienciam atque  
doctrinam scriptura sacra  
sine aliqua comparatione  
transcendat, ut taceam quod uera  
praedicat, quod ad caelestem  
patriam uocat; quod a terrenis desideriiis  
ad superna amplectenda  
cor legentis immutat; quod dictis  
obscurioribus exercet fortes et paruulis  
humili sermone blanditur, quod nec sic  
clausa est ut pauesci debeat, nec sic patet  
ut uilescat, quod usu fastidium tollit,  
et tanto amplius diligitur quanto amplius  
meditatur;

quod legentis animum humilibus uerbis  
adiuuat, sublimibus sensibus leuat, quod  
aliquo modo cum legentibus crescit,  
quod a rudibus lectoribus quasi  
recognoscitur, et tamen doctis semper  
noua reperitur; ut ergo de rerum pondere  
taceam, scientias tamen omnes atque  
doctrinas ipso etiam locutionis suae  
more transcendit, quia uno eodemque  
sermone dum narrat textum, prodit  
mysterium, et sic scit praeterita dicere, ut  
eo ipso nouerit futura praedicare, et non  
immutato dicendi ordine, eisdem ipsis  
sermonibus nouit et acta describere, et  
agenda nuntiare; sicut haec eadem beati  
Iob uerba sunt, qui dum sua dicit, nostra  
praedicit; dumque lamenta propria per  
sermonem indicat, causas sanctae  
Ecclesiae per intellectum sonat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 20, 1  
(CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.1003,  
ll.1-21).